



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De persequutione sub Maximino. Cap. XXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

edificata, Heraclæ reliquit. Non longo tempore post, Demetrius Alexandrinæ ecclesiæ episcopus, cum quadriginta tres annos integros in illo ministerio fungendo contriuisset, morte obiit: huic successit Herachas. Quo tempore Firmilianus Cæsareæ Cappadocensis episcopus magno nomine & celebritate fuit. Iste tantum studium erga Origenem declaravit, ut interdum illum in suæ regionis fines ad ecclesiarum utilitatem accersi vellet, nonnunquam ipse ad eum in Iudeam proficiens, & ali quandiu vna cum eo moram facere, quo in sacris literis melius & perfectius erudiretur. Quinetiam & Alexander, qui Hierosolymitanæ ecclesiæ, & Theoctistus, qui Cæsariensi ecclesiæ præfuit, per omne tempus propemodum etatis suæ ei tanquam præceptoris auscultabant, soliq; illi sacrarum literarum interpretationes, & reliqua ecclesiastica disciplina instituta exequenda cōcesserūt.

De persecuzione sub Maximino.

CAP. XXI.

Alexandro Romanorum imperatori, cum tredecim annis Reipublicæ gubernaculis præfuisse, Maximinus Cæsar successit. Qui propter grauem inuidiam, quia contra Alexandri familiam, in qua complures fideles & Christiani versabantur, flagrabat, acerbam persecutionis tempestatem concitauit: iussitq; solos ecclesiarū præfides, tanquā auctores doctrinæ evangelicæ neci dari. Eo tempore Origenes librum composuit de martyrio, & opus illud Ambrosio episcopo, atque Protoctetos ecclesiæ Cæsariensis præsbytero, propterea quod utrūq; non exigua persecutionis procolla exagitauerat, dedicauit. In qua quidem traditum est, eos viros ob veram & constantem fidei confessionem, sub finem imperii Maximi (qui non amplius triennio regnauit) magnam laudem fuisse consecutos. Tempus huius persecutionis, cum in vigesimo secundo libro commentariorum in euangelium Ioannis, tum in multis variisque eius epistolis aper te demonstrat Origenes.